

in 6. Deinde in l. *Si quis ex aliena*. ff. de *Judiciis*, expresse conceditur judici potestas ferendi judicium de jurisdictione sibi competente; ibi: « Prætoris enim est existimare, an sua sit jurisdictio. » Concordat c. *Super litteris*. 20. § fin. de *Rescript.* et c. *Significantibus*. 38. de *Offic. delegat.* ubi pariter judex delegatus existimare, ac pronuntiare potest, num sibi competat jurisdictio respectu causæ, necne.

211. *Idque exemplificatur.* — Insuper potest dominus propria auctoritate ejicere emphyteutam, sive colonum, si pensionem statuto tempore non solverit, c. *Propter.* et c. *Potuit.* de *Locato.* et l. II. C. de *Jure emphyteut.*, et cum aliis notat Jason, loc. cit. n. 100 et 105; quamvis nonnulli requirant ad hoc auctoritatem judicis, de quo alibi. Ulterius tutor, si creditor fuit patris pupilli, potest sibi ipsi solvere ex bonis pupilli, l. *Quoties*. § *Sicut.* ff. de *Administrat. tutor.* Idemque a pari dicendum de procuratore, et negotiorum gestore, qui possunt uti retentione expensarum, quas fecerunt, nisi dominus ei solvere paratus sit; l. *Quæ omnia*. § fin. et l. seq. ff. de *Procuratorib.* Tacentur similia apud Speculatorem loc. cit. n. 55, 56 et 57. videnda.

212. *Judex regulariter non potest cogere partes ad personaliter comparendum.* — Quæritur IV. Utrum judex possit cogere partes, ut personaliter in judicio compareant? Resp. I. Regulariter loquendo id fieri non potest: adeo, ut judex, etiam delegatus Papæ, non possit jubere, seu alterutram partium invitam compellere ad personaliter comparendam in judicio, nisi a Sede apostolica mandatum ad hoc receperit speciale, aut nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniæ faciendi, vel alias juris necessitas partes coram eo exegerit personaliter præsentari. Textus est in cap. I. h. t. in 6.

213. *Idque procedit tum in delegato, etiam Papæ, tum in ordinario.* — Nec obstat, quod hic ex professo sermo sit de giudice delegato Papæ. Istud enim contingit ex eo: quia de delegato Papæ major poterat esse ratio dubitandi, cum videretur posse idem, quod Papa, respectu causæ sibi commissæ: nihilominus hoc ipsum, et quidem a fortiori, procedere etiam de giudice ordinario recte notat Glossa ibid. §. *Judicem delegatum.* ac Vivianus in *Rationali*, ibid. istud confirmans ex l. ult. C. de *Procurat.* Accedit ratio, quia liberum est cuilibet, præter casus specialiter in jure

exceptos, per se, vel per procuratorem legitime constitutum, ac informatum, in judicio respondere, l. I. ff. de *Procurat.* et l. ult. C. eod. cum similibus. Atqui beneficium juris nemini invito est auferendum, juxta reg. 17 juris in 6, cum similibus; ergo.

214. *Nisi delegatus Papæ mandatum receperit speciale.* — Excipitur primo, si quis a Sede apostolica mandatum receperit speciale. Nam, sicut Papa potest partes personaliter citare, atque ad comparendum cogere; ita et delegatus Papæ de ejus speciali commissione. Secus, si id non exprimat: quia ex simplici delegatione non censentur omnia delegato pontificio concessa, quæ ipsemet Papa potest; sed solum ea, sine quibus causa ipsi concessa expediri non potest, c. *Præterea*. 5. de *Offic. delegat.*

215. *Vel nisi fuerit causa criminalis.* — Excipitur secundo causa criminalis. Siquidem in hac criminaliter intentata, saltem ubi agitur de poena capitis, vel alia, quæ sit gravior relegatione, non potest intervenire procurator, sed tenentur partes personaliter comparere: ne, si pars succumbens postmodum aufugerit, judicium reddatur elusorium; prout amplius dictum est, lib. I, tit. XXXVIII. de *Procuratoribus*. § 3. n. 62. et seqq.

216. *Referuntur alii casus, in quibus judex potest partes compellere ad personaliter comparendum.* — Excipiuntur ulterius alii duo casus, in quibus judex potest partes compellere ad personaliter comparendum: videlicet « pro veritate dicenda; » hoc est, ad præstandum juramentum de dicenda veritate, atque ad personaliter respondendum ad positiones et articulos, aliaque interrogatoria. Ad hæc enim plurimum juvat corporalis præsentia partium, utpote de propriis gestis, et particularibus circumstantiis, exactiorem notitiam habentium; ut c. *Dudum*, 54. § *Partibus.* de *Election.* Item « pro juramento calumniæ faciendi, » nisi forsitan procurator habeat speciale mandatum ad jurandum de calumnia in animam sui principalis; de quo tamen ex professo agitur inferius in tit. VII. de *Juramento calumniæ*. § 2. n. 35. et seqq.

217. *Referuntur alii casus, in quibus judex potest partes compellere ad personaliter comparendum.* — Excipitur tandem quæcumque alia « juris necessitas, » quæ partes coram giudice exigit personaliter præsentari. Ut fit, quando principalis statum controversiæ totamque rei veritatem magis perspectam habet, quam ejus procurator; aut si verior, et

legalior est persona domini, et non ita rixosa, arg. l. ult. C. de *Procuratorib.* ut notat Glossa ibid. §. *Justiores*. Idem accidit, quando oportet specialiter examinare qualitatem personæ, maturitatem ætatis, seu discretionem judicii: aut quando contra reum adsunt vehementia indicia; eo enim præsentate, atque consideratq ipsius vultu, et quam constanter respondeat, vel trepide, facilius poterit veritas deprehendi, sicque ipsemet compelli ad personaliter comparendum. Ancharanus in cit. cap. I. h. t. in 6. notab. 4; Pirhing eod. n. 44. et alii.

218. *Mulieres non sunt invitæ personaliter in judicium trahendæ.* — Resp. II. Singulariter mulieres, quæcumque ex causa in jure non expressa, invitæ personaliter in judicium trahendæ non sunt: et si aliquando necessarium fuerit ipsarum testimonium, judex (expensis partis producentis) pro excipiendo earumdem testimonio mittat ad ipsas tabellionem, aut aliam personam idoneam; vel, si aliter fieri nequeat, ipsemet judex omni fraude cessante personaliter ipsas accedat. Mulieres religiosæ vero, etiam volentes, extra suum monasterium, vel clausuram non vocentur ad judicium, vel trahantur ex quavis causa personaliter: si secus fuerit attentatum, illud ipso jure irritum est, ac inane. Textus est, in c. *Mulieres*. 2 h. t. in 6. estque amplius dictum supra § 6. n. 150. et seqq.

219. *Partes litigantes tenentur in judicio per se ipsas factum proponere, nisi sint indiscretæ.* — Quæritur V. Utrum partes litigantes teneantur in judicio per se ipsas factum proponere? Resp. affirmative; nisi forsitan sint personæ indiscretæ, seu tales, quæ se bene regere nesciunt propter simplicitatem, sive quia perfectam rationis discretionem non habent. Ita habetur in c. *Pastoralis*. et notant ibidem Abbas, aliique doctores. h. t. ubi Pontifex inquit: « Statuimus præterea, ut principales personæ, non per advocatos, sed per se ipsas factum proponant; nisi forte sint adeo indiscretæ, ut earum defectus, de judicis licentia, per alios suppletur. » Hæc ibi. Concordat l. *Si servum*. § fin. ff. de *Interrogat. action.* ubi interrogatus, an fundum possideat, tenetur respondere, ac dicere, pro quota parte possideat. Et merito: nam unusquisque præsumitur de facto suo melius scire veritatem, quam sciant advocati, vel alii extranei, c. *Ab excommunicato*. 41. juncta Glossa. § *De facto suo.* de *Rescript.* Ac proinde

ea, quæ in facto consistunt, non per advocatos, sed per se ipsas debent partes proponere, ipsumque factum referre: nisi ob earum indiscretionem, seu ineptitudinem, aliud judici videatur expedire.

220. *Advocatus respondens in his, quæ sunt facti, nemine contradicente, præjudicat parti.* — Quod si tamen advocatus respondeat etiam in his, quæ sunt facti, giudice, et parte adversa non contradicentibus, tunc talis confessio præjudicat parti, utpote quæ in sui præjudicium consensit. Abbas in d. c. *Pastoralis*, n. 4. et Vivianus in *Rationali*. ib. h. t. atque desumitur ex c. *Cum causam*. 62. de *Appellat.* et l. I. et 3. C. de *Errore advocat.*

221. *Advocatorum officium, circa quæ versetur? Dices: Etiam si partes non sint indiscretæ, potest per alium proponi factum in judicio, juxta textum in l. Non solum.* ff. de *Procuratorib.* et l. I. ff. *Quod cujusque universit. nomin.* ergo. Resp. neg. anteced. Nam officium advocatorum non versatur circa proponenda ea, quæ sunt facti, ne subtilibus cavillationibus avertant clientulos a propalanda veritate; sed eorum officium versatur in his, quæ sunt juris; ut puta, qua ratione libellus sit conspiciendus, et lis contestanda, qualiter ponendæ positiones, seu interrogatoria formanda, ac responsiones ad ea, ne clientulus capiat; item quomodo sit proponenda exceptio, ac hujusmodi. Abbas in cit. c. *Pastoralis*. n. 7. h. t.

222. *Solvuntur jura in contrarium.* — Ad jura allegata, et imprimis ad cit. l. *Non solum*, dicitur ibi sermonem esse non de advocato, sed de procuratore ad litem constituto. Quia enim procurator per litem contestationem fit dominus litis, cap. I. de *Procuratorib.* in 6. estque jam dictum l. I. tit. XXXVIII. § 5. n. 105. hoc ipso censetur esse persona principalis, sicque per se ipsum respondere, seu factum proponere potest, ac debet. Secus est in advocato: nam iste nunquam efficitur dominus litis, ejusque officium solummodo versatur in ordinandis iis, quæ sunt juris, ut proxime dictum. Ad l. I. ff. *Quod cujusque universit. nomin.* respondetur per idem: quia universitates per suos syndicos, seu procuratores, in judicio agere solent, cap. un. de *Syndico*, et alibi.

223 et 224. *Præparatoria judiciorum, et decisoria judiciorum, quæ? — Quæritur VI. Utrum in præparatoriis, ac decisoriis judiciorum, attendendæ sint leges et consuetudines*



fori, ubi litigatur? Est hic prænotandum, quod *Præparatoria judiciorum* dicantur ea, quæ pertinent ad ordinationem litis, hoc est, respiciunt modum, ac ordinem procedendi in judicio: ut sunt oblatio libelli, contestatio litis, terminus peremptorius, receptio testium, ac diversa statuta et consuetudines particulares locorum, quæ circa præmissa, et alia hujusmodi dantur; nam isthæc non ubilibet sunt uniformia, sed variantur multoties pro diversitate fori ac tribunalium.

*Decisoria judiciorum* econtra dicuntur, quæ pertinent ad decisionem causæ: ut sunt leges, statuta et consuetudines laudabiles, non solum juris communis, sed etiam particularium locorum, quæ in republica, ipsoque convictu humano, ac variis contractibus observari præcipiuntur, atque juxta diversitatem locorum aliarumque circumstantiarum non raro varia existunt. Quæstio proinde remanet, utrum, si in istis reperiatur difformiter inter forum actoris et rei, aut judicii, sint attendendæ leges et consuetudines judicis, seu fori ubi litigatur, ita ut juxta has judex procedere, ac sententiare teneatur, necne. Quo prænotato

225. *In præparatoriis eorum attenduntur consuetudines fori, ubi litigatur.* — Resp. I. Quoad præparatoria judicii attendendæ sunt leges, et laudabiles consuetudines fori, ubi litigatur. Ita Glossa un. in c. *Quod clericis.* et Abbas ibid. n. 10. *de Foro compet.* et c. *Licet ex suscepto.* n. 14. eod.; Bartolus in l. *Consuetudinis.* quæst. 34. C. *Quæ sit longa consuetudo;* Macardus *de Probation.* concl. 423. n. 9; Alexander Sperellus *Decision.* 10. *Fori ecclesiast.* n. 22. et seqq.; Barbosa in cit. c. *Quod clericis.* n. 8 et 9, et communis. Idque desumitur ex l. *Testium.* § fin. ff. *de Testib.* ubi judex circa evocationem testium (qualis utique connumeratur inter præparatoria judicii) jubetur « explorare, quæ consuetudo in ea provincia, in qua judicat, fuerit. » Unde Bartolus ibid. in Summario, generaliter infert, quod in his, quæ spectant ad litis ordinationem, debemus inspicere consuetudinem loci, ubi agitur.

226. *Idque exemplificatur, et amplius probatur.* — Infertur proinde, quod si clericus conveniat laicum coram judice sæculari, ipse quantum ad litis ordinationem, ut puta quoad libelli oblationem, contestationem litis, ipsumque modum ac ordinem procedendi in judicio, teneatur servare leges et consuetu-

dines, cæteroquin tamen rationabiles, illius fori sæcularis, ubi agitur causa. Nam hujusmodi leges, statuta et consuetudines, non concernunt personam litigantium, sed causam ipsam, quæ subjicitur illi foro: simulque jus canonicum consentit, clericos certis in casibus coram sæculari judice litigare, hoc ipso tacite consentire censetur, ut juxta illius fori modum agant. Sperellus loc. cit. n. 24 et 25. Et vicissim, si laicus, is debet observare constitutiones, et consuetudines hujus fori quoad ea, quæ pertinent ad modum procedendi in judicio. Abbas cit. n. 10; Pirhing. tit. *de Foro compet.* n. 146, et alii.

227. *Econtra quoad decisoria litis attenduntur consuetudines et statuta litigantium.* — Resp. II. Econtra vero quoad decisoria litis, quando intervenit aliqua discrepantia inter leges seu consuetudines fori litigantium ac judicii, tunc judex debet judicare secundum consuetudinem litigantium, eorumque statuta, non autem secundum sua. Ita Abbas in c. *Ecclesia Sanctæ Mariæ.* n. 41 et 42. *de Constitut. in solemnibus repetit.*; Bartolus cit. quæst. 34; Mascardus, Sperellus, et Barbosa ubi supra, et alii. Conclusio hæc probatur ex c. *Cum venissent.* 3. *De eo qui mittitur in possessiones.* ubi legitur, commissam fuisse causam judicibus, « secundum jus et bonam terræ consuetudinem terminandam. » Concordat textus in l. I. ff. *de Usuris,* et l. *Si fundus.* ff. *de Eviction.* in quo posteriori loco Glossa generaliter infert, quod inspiciatur consuetudo loci, ubi contractus est: idem ergo dicendum in cæteris causis quoad ea, quæ spectant ad decisionem litis.

228. *Atque hoc varie exemplificatur.* — Hinc in c. *Constitutus.* 8. *De in integrum restitut.* judicatur secundum approbatam consuetudinem loci, ubi contractus venditionis celebratur. Idem, si agitur ratiōe delicti, consideratur jus loci, ubi delictum commissum est, c. *Ut animarum.* *de Constitut.* in 6. et Auth. *Quia in provincia.* C. *Ubi de crimin. agi oportet.* Similiter, quando agitur super re aliqua, tunc servanda sunt jura atque laudabiles consuetudines illius loci, ubi res sita existit; ut c. *Raynutius.* 16. *de Testament.* et l. *An in totum.* C. *de Aedificiis privat.* Abbas in c. *Quod clericis.* n. 11. *de Foro compet.* Atque hæc procedunt non solum, quando laicus agit contra laicum, sed etiam quando clericus in foro sæculari agit contra laicum. Pirhing. tit. *de Foro compet.* n. 147. et alii.

## TITULUS II.

## De Foro competenti.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Viso de judiciis ut sic, procedit compilator juris canonici ad tractandum de singulis partibus, et actibus judicii: et quia ante omnem alium actum judicialem debet discuti de competentia fori, utpote de qua rei in judicium vocati non raro excipiunt, merito cæteris subsequentibus præsens rubrica præmittitur. Hinc sit

## § I.

## GENERALIA DE FORO, EJUSQUE COMPETENTIA PRÆMITTUNTUR.

2. *Nomen fori quandoque sumitur in masculino, quandoque in neutro.* — Quæritur I. Quid intelligatur nomine *Fori*, præsertim *competentis*? Resp. I. Nomen *Fori* varias habet significationes, et quandoque in masculino, quandoque in neutro genere ponitur. Atque imprimis *Forum* in neutro positum, significat locum deputatum ad emendum, vel vendendum res quaspiam: quæ tamen acceptio ad propositum non facit.

3. *In neutro acceptum, quid significet?* — Aliter igitur *Forum* in neutro positum, accipitur pro districto, seu territorio cujusque judicis, intra quod in facinorosos animadvertere potest, arg. l. *Pupillus.* § *Territorium.* ff. *de Verb. signif.* et notat Abbas ad rubric. h. t. post Hostiensem. Sic omnes basilicæ intra fines suæ diocesis constructæ, dicuntur esse de territorio, seu foro episcopi, can. *Omnes basilicæ.* 16. q. 7. Sic etiam procedit illud vulgatum: « Extra territorium jus dicendi, impune non paretur; » ac refertur cap. ult. *de Constitut.* in 6 et l. fin. ff. *de Jurisdiction. omn. judic.*

4. *Et quid in masculino?* — *Forus* in masculino genere positus, « est exercendarum litium locus: a *fando* dictus, sive a *Foroneo* rege, qui primus Græcis legem dedit; » prout legitur in c. *Forus.* *de Verb. signif.* Atque alio nomine dicitur tribunal, ut l. I. ff. *de Judiciis.* Item auditorium, l. *Contra pupillum.* ff. *de Re judicat.* ac respectu Papæ, consistorium.

5. *Forus competens, quid?* — Resp. II. *Forus competens*, de quo loquitur rubrica præsentis tituli, idem est, ac tribunal judicis, cujus jurisdictioni reus, qui convenitur, sub-

jectus existit. Et notanter hæc definitio ponitur in ordine ad reum: quia generale est, ut actor forum sequatur rei, cap. v et cap. viii. h. t. et l. ult. C. *Ubi in rem actio*, etc., sicque competentia fori non nisi in ordine ad judicem, ejus jurisdictioni reus subjectus est, desumi potest. Ex conformiter dictis, judex competens censetur ille, cujus jurisdictioni reus subjicitur.

6. *Si reus habet multiplicem forum, in electione actoris est, eum in quo maluerit foro, convenire.* — Resp. III. Si reus conveniendus multiplicem forum sortiatur (prout frequenter contingit ex causis in progressu enumerandis) in electione actoris erit, convenire reum, in quo maluerit foro. Ita Glossa in c. *Dilecti.* § *Ubi domicilium*, h. t. et l. ult. C. *Ubi in rem actio*, etc. id probans ex l. II. § *Plane, si perfecta.* ff. *de Judiciis*; estque communis canonistarum, teste Fagnano in c. *Licet.* n. 40. h. t.

7. *Reus coram incompetente judice conventus impune non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam fori. Hæc exceptio est proponenda mox ab initio, ante litis ingressum.* — Quæritur II. Quid juris, si reus conveniatur coram incompetente judice, aut de hujus competentia dubium oriatur? Resp. I. Reus coram judice incompetente conventus, impune non comparet, opponendo exceptionem declinatoriam fori: hæc tamen mox ab initio ante litis ingressum, seu ante litis contestationem, imo et ante alias exceptiones dilatorias proponenda est; ne si reo sciente, et connivente, procedatur ad alia, videatur is in talem judicem consensisse, ejusque personam approbasse, ac jurisdictionem prorogasse l. *Consensisse.* § 1. ff. *de Judiciis*: sicque non possit postmodum ejus judicium declinare. Patet hoc ex l. ult. C. *de Exceptionib.* et amplius declarat Glossa in c. *Exceptionem.* § *In dilatoris*, et Abbas, ibid. n. 11. *de Exceptionib.*

8. *Solvitur instantia, simulque hoc amplius declaratur.* — Dices: Sententia a non suo judice lata est ipso jure nulla, ut c. *At si clerici* h. t. et l. 1. ac seqq. C. *Si a non competente judice*, etc.; ergo non est necesse, exceptionem declinatoriam fori opponere ante ingressum litis; imo poterit ipsa quocumque tempore, etiam post latam sententiam opponi, sicut et nullitas sententiæ. Resp. neg. consequent. Licet enim exceptio declinatoria fori quandoque possit proponi quocumque tempore, etiam post sententiam latam: prout accidit, quando sententia lata fuit ab eo, qui